



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Athanasia. 27. Februarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

Crucis præfectus est. Vrimò Pontifex Gazæ inaugu-  
 ratus signo crucis pluviam è cælo supplex  
 evocavit. infamem Veneris statuam dejecit, &  
 Manichæam mulierem elinguem reddidit; proba-  
 vitque hunc in crucem amorem ipsam Numen,  
 quando lapsos in puteum tergeminos pueros sal-  
 vos parentibus reddidit, & miraculosâ cruce insi-  
 gnitos. Illud ad posteros memorabile, cum fana  
 Gazæ nobilissima superstitioni paterent, neque  
 demolitionem horum impetrare jam ab Arcadio  
 posset, supplicasse PORPHYRIUM vix nato Theo-  
 dosio, & cum hic alieno nutu assensum præbuis-  
 set, votorum tandem potitum omnia Deorum  
 templa destruxisse, Deo deinde aliud in Crucis  
 formam ædificasse, & cineri suo, & famæ monu-  
 mentum. *Ex Metaphr.*

*Memento te etsi de nihilo factum, non tamen de  
 nihilo redemptum: sex diebus condidit Deus omnia,  
 & te inter omnia: at verò per totos triginta annos  
 operatus est salutem tuam in medio terra. O quan-  
 tum laboravit sustinens carnis necessitatem. hostis  
 tentationes! S. Bern. serm. 11. sup. Cant.*

## S. ATHANASIA. 27. Februarii.

**A**THANASIA ANDRONICVM suum junximus,  
 injuriam facturi utrique si nunc demum di-  
 vortium inter eos fecissemus, quos tot miracula  
 junxerunt. Igitur Antiochiæ agebant sanctissimi  
 conjuges, opesque, quæ multæ illis erant, cum  
 cælo communes habebant. Trientem primum  
 miser, alterum viri religiosi auferebant, ultimus  
 domesticis usibus cedebat. Heredes cum binos  
 sustulissent, placuit exinde castitati potiùs, quàm  
 liberis operam dare. Interea illos etiam uno die  
 cælum

cælum rapuit. ATHANASIA, ut impotens ferè matrum dolor est, immortura mortuis videbatur; sed Iulianus martyr, in cuius templo liberorum manibus parentabat, docuit liberis cælum non invidere. Quin imò invidit, sed rectè, uterque parens; & ut eodem coniteretur, toto assè in miseros abjecto, in diversa cœnobia abiit. Iam anni ierant XII. cum una ambos cupido incessit ad sacra Solymæ loca visendi. Itaque idem paulò pòst iter jungunt, & agnoscit ATHANASIA incognita (virum, quò tutius peregrinaretur, pudor induerat) ANDRONICVM suum. Salute datâ acceptaque iter silentio transigitur. Inde regressos excipit eadem cello, alteroq̃ XII. annos ANDRONICVS cum ATHANASIA habitat nescius novî conjugii. Virum nempe crediderat. Et erat: mulierem tamen mors & schediasma ponè caput repertū prodidit. Igitur corpus palmis coronatum, & elatū triumphî speciem non funeris præbuit, diuq̃ue nihil aliud in ore omnium quàm *Femina monachus & monachus conjux* fuit. Ex Suario.

*Ideo nudi in seculo nascimur, nudi etiam ad Baptismi lavacrum accedimus, ut nudi quoque & expediti ad celi januam properemus. incongruum verò & absurdum est, ut quem nudū mater genuit, nudum suscipit Ecclesia, dives velit intrare in cælum.* S. Max. serm. de S. Mich.

SS. LVPICINVS ET ROMANVS CC.  
28. Febru. arj.

**E**Adem studia, & vitæ rationem eandem audies in LVPICINO, & ROMANO, ut meritò fratres credamus germanos fuissè. Ambo siquidem virgini-